

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Memoria posthuma matronae ... [Trauergedichte auf  
Elisabeth Wencker, geb. Berchtold, Gemahlin des  
Altammeisters und Dreizehners in Straßburg Johann  
Wencker, gest. 5. September 1666]**

**Wencker, Elisabeth**

**Argentorati, [1666]**

Bebel, Baltasar: Nobilissimae matronae

[urn:nbn:de:bsz:31-110206](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110206)

*Vt truncata licet, revirescit latius arbor.  
Interea cælos dum complet prolibus, & se,  
Sortitur MATER, matrum ipsa corona, coronam.*

Condolentia testandæ gratiâ ascripsit

*Joh. Conr. Dannhauer, D.*

**F***elicem in mundo hoc mortalem reddere possunt,  
Anni, conjugium, gloria, liberi, opes;  
Post, inquam, veram Cælum erga Religionem,  
Sed quis ad humana hæc culmina sortis abit?  
Contigit id tibi, quod paucis, Wenckeria mater:  
Felix in vitâ diceris ergo tuâ.  
Extremum accedit quoque, quod decus omne coronat:  
Anno senio mors venit æqua tuo.*

Ult. honor. E.  
f.

*Sebastianus Schmidt, S.Th. D.*

*P. Ord. & Ecclesiastes.*

**Nobilissimæ Matronæ**

*Suæ quondam Hospitæ beneficentissimæ, nunc  
desideratissimæ:*

**H***ospita, pro meritis, quod debeo, suscipe carmē  
Carmen, Alumna, tibi pignoris instar erit:  
(Nam fidei, Patrona, tuæ meminisse juvabit,  
Donec in hoc nostro spiritus ore sonat.)*

A 2

Ipse

Ipse cliens quondam, Tu fida clientis Alumna,  
Et mea tot meritis altera mater eras.  
Ergo, fatebor enim, primas quod ducimus auras,  
Debemus matri, prolificante Deo;  
Sed benè quod vitæ melioris ducimus auras,  
Hæc, moderante Deo, gratia sola tua est.  
Sic solet infelix alieni debitor æris,  
Pro nummis Domino reddere verba suo;  
Scripta tamen fidei mansuræ vincula, donec  
Debitor in Domini manserit ære sui:  
Ut nos pro meritis (quæ multa & magna) libellum  
Scribimus, & Dominæ pignus inane damus;  
Pignus inane quidem, si nos tibi reddere velles  
Debita, tot meritis accumulata tuis;  
Attamen affectu plenum, qui credita saltem  
Ore manuque sua confiteatur, erit.  
Accipe porrectum, nec erit, puto, pignus inane,  
Si nostro dederis scripta legenda Deo;  
Namque Deus, qui dives opum, dispungere novit  
Nomina, dispundet hic quoque nostra Deus.  
Ipse, Beata, Tibi dulcissima præmia reddet:  
Qui vel frigidulæ pocula pensat aquæ.

*Symbolum*

Baltasaris Bebelii, S. Th. D.  
P. P. & Ecclesiasticus.

CEW